

I. Generale examen illud est quo parochus ex ipsis sponsis exquirere tenetur an adsint omnia requisita ad matrimonium valide et licite celebrandum, vid. libera utriusque voluntas, absentia impedimenti, consensus parentum, saltem regulariter, pro filiis vel filiabusfamilias, etc. (Rit. Rom. l. c. n. 1; Bened. XIV, Const. *Nimiam licentiam* cit.) Formam examinis fusius exponere solent Statuta vel Ritualia dioecesana. Tenentur autem nupturientes sub gravi ad impedimenta manifestanda, nisi agatur de impedimentis occultis a quibus dispensationem pro foro conscientiae obtinuissent: secus enim pravam voluntatem haberent sacramentum invalide, vel saltem illicite suscipiendi.

Quodsi unus nupturientium ad aliam parochiam pertinet, parochus qui matrimonio interfuturus est, debet a parocho alterius partis authenticum testimonium obtinere de absentia impedimenti et de factis proclamationibus. Si vero unus vel uterque pertinet ad aliam dioecesim, similiter si vagus est vel, aetate jam adulta, diu in alia dioecesi versatus est, parochus ad Ordinarium suum recurrere debet, ut iste per se vel per Ordinarium alterius dioecesis examen instituat de statu libero unius vel utriusque contrahentium, neque ad proclamationes procedere potest antequam testimonium de statu libero obtinuerit. Juxta Instr. S. Off., 21 Aug. 1670, a Clemente X confirmatam, status liber nupturientium seu eorum immunitas ab impedimentis, et praesertim a vinculo jam contracti matrimonii, probandus esset per examen duorum testium pro unaquaque parte. Verum, extra dioeceses ditionis Pontificiae, fere ubique viget consuetudo ut hoc examen testium non instituat; in quibusdam locis eidem suppletur per juramentum a nupturientibus praestitum, testimonium parochi loci a quo venerunt aliasve cautiones; alibi, praesertim ubi multae sunt migrationes ab una regione vel dioecesi in aliam, quandoque practice nihil aliud exigitur quam jurata nupturientium affirmatio et testimonium eorum quibus iidem noti sunt. Non omnino conveniunt Canonistae num legitima sit consuetudo qua determinatae probationi a Clemente X praescriptae alia et quandoque non ita secunda substituta sit. Sic inter recentissimos scriptores severius de eadem consuetudine loquitur Gasparri (de Matr. I. n. 139), mitius Rosset (de Sac. matr. II. n. 1126) et De Becker (op. cit. p. 274). In praxi sacerdotes tuti erunt in conscientia si in hac re sequuntur mores in dioecesi sua a sedulis parochis receptos et ab Ordinario, saltem tacite, probatos. Si adhibitis investigationibus quae adhiberi solent, quantum moraliter fieri potest in casu, dubium superesset de statu libero contrahentium, debent vel amplioribus investigationibus dubium expellere, vel ad Ordinarium recurrere.

II. Speciale examen illud est quod instituitur ad cognoscendum num
“uterque sponsus sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios suos docere

debeat. „ (Rit. Rom. l. c.) Hoc examen proclamationibus praemittendum esse, pluries decreverunt Rom. Pontifices. (Bened. XIV, Const. *Etsi minime*, 7 Febr. 1742) Rudimenta autem fidei intelleguntur ea quae unicuique cognoscenda sunt necessitate medii vel praecepti. Quatenam illa sint et qua ratione eorum notitia a rudibus sit exigenda, satis explicatum est Vol. I. n. 191 seqq.

CAPUT III.

DE MATRIMONIO SECUNDUM SE.

§ I. QUID SIT, QUAE EJUS MATERIA, FORMA, MINISTER, SUBJECTUM.

455. I. Matrimonium dupliciter sumi solet: *in fieri*, quo sensu est ille actus, quo vir et femina in statu conjugii constituuntur: *in facto esse*, quo sensu est ipse hic status, qui ad hujusmodi actum refertur tamquam effectus ad suam causam.

In priore sensu **definitur**: Contractus quo mas et femina, nullo Jure impediti, se ad individuum vitae societatem et mutuam corporum traditionem, in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, obligant.

In posteriore, est: Perpetua et indissolubilis conjunctio seu vinculum viri et feminae, ortum ex eorum consensu, verbis vel aliis signis expresso. (Schmalzgr. in l. 4. t. 1. n. 223)

Matrimonium *in facto esse* latiori tantum sensu sacramentum dici potest, quatenus pro tota vita significat unionem Christi cum Ecclesia. Sacramentum N. L. in sensu stricto est solum matrimonium *in fieri*, seu contractus matrimonialis supra definitus, inter baptizatos initus et a Christo vi producendae gratiae sanctificantis donatus.

Igitur in matrimonio christiano contractus a sacramento dissociari nequit, nec potest contractus verus et legitimus consistere quin sit eo ipso sacramentum. “Nam Christus dignitate sacramenti auxit matrimonium; matrimonium autem est ipse contractus, si modo sit factus jure. „ (Leonis XIII Encycl. *Arcanum*, 10 Febr. 1880) Haec veritas summi momenti est contra errores in pleraque Jura hodierna de matrimonio receptos: quare etiam fusius a Dogmaticis probari solet.

II. Materia remota hujus sacramenti sunt ipsa contrahentium corpora. **Materiam proximam** et **formam** simul ponit legitimus con-

tractus : *materiam*, quatenus iste contractus est mutua et legitima corporum traditio per verba aut nutus, interiorem animi assensum exprimentia ; *formam*, quatenus idem simul est mutua ac legitima corporum acceptatio. (Bened. XIV, Litt. ad Archiep. Goan. 19 Mart. 1758) Prorsus autem rejicienda est sententia plurium antiquorum DD. opinantium materiam hujus sacramenti esse sponsorum consensum, formam vero benedictionem sacerdotalem. Nam nullatenus conciliari potest cum veritate saepius a Pio IX et Leone XIII declarata : rationem sacramenti separari non posse a contractu matrimoniali, ac proinde reperiri etiam ubi nulla a sacerdote benedictio impertita fuerit.

Hinc pariter liquet ministros hujus sacramenti esse ipsos contrahentes : nam, ubi valet matrimonium clandestinum, nullus alius intervenire debet. Corruit ergo sententia plurium DD. qui, duce Melchioro Cano, ministrum arbitrati erant sacerdotem nuptiis benedicentem, sicut in hac benedictione formam collocabant.

456. III. Subjectum matrimonii, prout merum contractum constituit, est quilibet homo, nullo impedimento dirimente juris naturalis vel divini prohibitus. Subjectum matrimonii, prout simul sacramentum N. L. constituit, est quilibet homo baptizatus, nullo impedimento dirimente juris etiam mere ecclesiastici prohibitus.

Hinc inter duos infideles consistere potest tantum contractus, non autem sacramentum proprie dictum matrimonii. Idem probabilius dicendum de fidei qui cum infidele, e legitima dispensatione, nubat : nam, sicut unus in utroque conjugate est contractus, ita unum, et utrumque contrahentium afficiens sacramentum esse debet ; nequit autem afficere partem infidelem, utpote omnis sacramenti ante baptismum incapax, ac proinde neque alteram partem afficit. (Schmalzgr. l. c. n. 307) Quidam tamen recentes, ut Rosset (Op. cit. t. I. n. 347 seqq.), opinantur hujusmodi matrimonium valere in ratione sacramenti pro parte fidei : quia nihil obstat quominus idem contractus diversos effectus in utraque parte producat pro diversa earum capacitate. Hi tamen non satis attendisse videntur ad realem unitatem matrimonii in fieri (quod solum proprie sacramentum esse potest), quod simul esse nequit sacramentum et merus contractus naturalis. Attamen ubi utraque pars, quae in infidelitate matrimonium contraxit, baptismum suscepit, censemus cum Sanchez (de Matr. l. 2. disp. 9. n. 5) aliisque DD. permultis contra alias (Schmalzgr. l. c. n. 310), contractum naturalem transire in sacramentum ipsa baptismi susceptione. Etenim nihil jam deest ut contractus inter utrumque baptizatum vigens sit sacramentum. Per ipsum baptismum fit eorum matrimonium indissolubile, saltem aequae ac matrimonium ratum fidelium ; implicite autem ponunt materiam et formam, dum baptismum

suscipiunt, cum consensu saltem implicito, ut matrimonium eorum jam fiat indissolubile. Haec sententia melius congruit cum doctrina quam Leo XIII, post Pium IX, vivida luce illustravit : " Omne inter christianos justum conjugium in se et per se esse sacramentum. " (Encycl. *Arca-num*) Pariter aptius explicat quare Ecclesia laudet conjuges infideles qui, suscepto baptismo, benedictionem nuptialem petunt : quae eis pariter ac fidelibus contrahentibus datur. (S. Off. 20 Jun. 1860 ; Coll. P. F. n. 1557) Inter haereticos vero et schismaticos, dummodo baptizati sint, neque ullum obstat impedimentum dirimens, contractus legitimus simul erit sacramentum.

IV. Matrimonium multipliciter distingui solet. Hic illas tandem explicabimus divisiones quae magis ad forum internum spectant.

1^o Distinguitur in legitimum, ratum et consummatum. *Legitimum* dicitur quod secundum leges naturales et civiles contrahitur inter infideles, sed caret Ecclesiae approbatione. — *Ratum*, sive Ecclesiae ratificatione approbatum, dicitur quod secundum leges divinas et ecclesiasticas sanctiones contrahitur a baptizatis, inter quos tamen nondum, post hujusmodi contractum, intercessit commercium carnale. Per positivam hujus definitionis partem opponitur matrimonio irritum ; per partem negativam, consummatum. — *Consummatum* dicitur matrimonium sive legitimum, sive ratum, quod copula carnali quasi perfectum est. Ut autem vere consummatum censeatur, requiruntur duo : a) Ut carnalis copula sit perfecta et ex se sufficiens ad generationem humanam. Non sufficit ergo copula imperfecta, qua integritas virginalis amissa foret, sed ex quo, semine aut nullatenus, aut extra vas naturale effuso, generatio sequi non posset. b) Ut carnalem copulam praecesserit matrimonium legitimum vel ratum. (Ball. P. n. 409)

2^o Distinguitur in verum et putativum. *Verum* dicitur quod valide contractum est, et qua tale ab Ecclesia admittitur ; *putativum*, quod reapse irritum est propter latens impedimentum, sed specie tenus valet, quia coram Ecclesia contractum est, praemissis vel saltem dispensatis denuntiationibus, et alterutro saltem conjugum impedimentum bona fide ignorante. Matrimonio putativo indulgetur prolem ex eo susceptam reputari legitimam, et conjugibus facilius dari dispensationem. (Aichner, op. cit. § 158)

3^o Matrimonium cui deest aliquid e solita publicitate, vel clandestinum est vel conscientiae vocatur. *Clandestinum* dicitur quod sine parcho et duobus testibus contractum est. Matrimonium *conscientiae* illud vocatur quod, omissis denuntiationibus, clam contrahitur coram parcho vel alio sacerdote ab Ordinario deputato et duobus testibus familiaribus, secreti lege obstrictis. Hac ratione matrimonium iniri nequit nisi episcopus

licentiam dederit et adsit gravissima causa, puta virum et feminam publice haberi ut legitimos conjuges, absque ulla criminis suspicione, reapse autem in concubinato perstare. Plura specialia statuta de his matrimoniis tulit Bened. XIV (Const. *Satis Vobis*, 17 Nov. 1741) ut hujusmodi matrimonia secreta serventur et tamen conjuges ad obligationes suas implendas adigantur. Insuper adverte talia matrimonia evulganda esse si quando alter conjux, vivente comparte, novum matrimonium attentaret, vel si conjuges, tam familiariter inter se viverent ut ceteris, matrimonium initum ignorantibus, scandalum darent: tum enim secreti observatio in damnum commune vel tertii cederet. (Ball. P. n. 1428)

Cum his matrimoniis conscientiae proprie dictis confundenda non sunt ea quae quandoque clam ineuntur cum solis substantialibus formalitatibus, puta quia lex civilis obstat ne in facie Ecclesiae contrahantur. Talia enim nequaquam occultanda manent, sed cum debitis cautelis evulganda sunt, ut scandalum tollatur quod forte e concubinato ortum sit vel, ignorato matrimonio, facile oriretur. Pariter a matrimoniis conscientiae discrepant ea quae *morganatica* vocantur, et ineuntur inter virum insigni nobilitate conspicuum et mulierem inferioris conditionis, ea lege ut liberi inde nascituri certa quadam portione bonorum paternorum, contenti sint, nullam vero partem in reliquis, neque in titulis et dignitatibus paternis habeant.

§ 2. DE CONSENSU AD MATRIMONIUM REQUISITO.

447. I. Consensus, in quo sacramenti materia et forma constant, debet esse:

1^o *Verus*: nam, si alteruter contrahentium fecte consentit, deest contractus seu consensus duorum in idem placitum. Hinc qui, nullo metu cogente, fecte consensum daret, non tantum sacrilegium committeret ob irreverentiam sacramenti, sed et injustitiam ob damnum alteri bona fide contrahenti illatum. Hoc autem damnum plerumque reparari non poterit, nisi consensum verum dando. Etenim cum, in foro externo, vix posset hujusmodi fictio probari, altera pars ad alias nuptias transire non permetteretur, et sic cogere vel manere in nupta vel religionem ingredi. Excipe tamen: *a*) Si deceptor matrimonium jam cum alia vero consensu inierit. — *b*) Si damnum deceptae alio modo reparari queat, vel ipsa decepta aliam compensationem sponte admittat. — *c*) Si deceptor in longe altiori statu sit positus: quia matrimonia inter adeo dispaes solent infelices exitus habere. — *d*) Si contrahens manifesta consensus ficta indicia praebuit: tunc enim femina seipsam deceptit. (Schmalzgr. l. c. n. 268 seqq.)

2^o *Mutuus*: est enim matrimonium contractus bilateralis, quo uterque jus in corpus suum tradit et acceptat.

3^o *Liber*: invito enim nequit imponi onus perpetuum. Cfr. dicenda de impedimento vis et metus. (n. 490) Hinc matrimonii contrahendi incapaces sunt quicumque alios contractus inire nequeunt. (Vol. I. nn. 580, 586) Ideo invalide contraherent amentes, nisi in lucidis intervallis versentur, mente tam debiles ut naturam obligationis matrimonialis satis percipere nequeant, semi-ebrii, etc.

4^o *Simultaneus*, saltem moraliter, et ita ut casu quo unus jam praestitit consensum, iste interea, donec etiam consentiat alter, neque expresse, neque tacite revocetur.

5^o *Signis externis manifestatus*, ob rationem omnibus contractibus communem. (Vol. I. n. 585) Ad valorem certe non requiruntur verba formalia, sed sufficiunt quaelibet signa, ut nutus, scriptura, etc. Immo probabilius nullum est Ecclesiae praeceptum sub peccato etiam veniali obligans ad consensum verbis formalibus exprimendum, dummodo aliis signis ita manifestetur ut nullum de valore matrimonii dubium exsurgere possit. (Schmalzgr. l. c. n. 275)

458. II. Consensus datus sub condicione de praeterito vel de praesenti officit ut statim validum vel invalidum sit matrimonium, prout eo momento condicio ista vera vel falsa est. Nam nulla datur ratio ob quam matrimonium hac in re non sequatur ceterorum contractuum leges. (Vol. I. n. 595) Statim quoque valet consensus datus sub condicione de futuro necessario vel infallibiliter eventuro: aequivalet enim consensui dato sub condicione de praesenti vero. Excipe, si quando contrahentes existiment incertam esse condicionem reapse necessariam, vel hujusmodi condicionem apponant ut temporis praefinitionem, ex. gr. *Contraho tecum si pater meus morietur*: tunc enim suspendetur valor matrimonii donec condicio purificata sit. (Schmalzgr. in 4. Decr. t. 5. n. 19. seqq.)

Nullibi prohibitum est, et consequenter per se licet, matrimonium sub honesta condicione de praesenti, praeterito vel futuro contrahere. (Reiff. in eumd. tit. n. 22) Attamen, cum Rit. Romanum tamquam formam matrimonii in facie Ecclesiae celebrandi exhibeat consensum absolutum, et plurima incommoda ex adjectis condicionibus enasci pronum sit, parochus permittere nequit ut coram se contrahatur matrimonium condicionatum, nisi ob causam urgentissimam, et impetrata, quatenus fieri possit, Ordinarii venia.

III. Consensus datus sub condicione de futuro contingente honesto et possibili, nec substantiae matrimonii contraria, suspendit valorem